



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Corpus Doctrinae Christianae

Melanchthon, Philipp

Lipsiae, 1572

VD16 M 2890

Articvli Qvibvs Recensentvr Abvsvs Mvtati.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36094

Hæc in alia editione sic reperiuntur.

¶ HÆC fere summa est doctrinæ apud nos, in qua cerni potest, nihil inesse quod discrepet à scripturis, vel ab Ecclesia Catholica, vel ab Ecclesia Romana, quatenus ex scriptoribus nota est. Quod cum ita sit, inclementer iudicant isti, qui nostros pro hæreticis haberi postulant. Sed dissensio est de quibusdam abusibus, qui sine certa autoritate in Ecclesias irrepserunt, in quibus etiam si qua esset dissimilitudo, tamen decebat hæc lenitas Episcopos, ut propter confessionem, quam modo recensuimus, tolerarent nostros, quia ne Canones quidem tam duri sunt, ut eosdem ritus ubiq; esse postulent, neq; similes vnquam omnium Ecclesiarum ritus fuerunt. Quanquam apud nos magna ex parte veteres ritus diligenter seruantur. Falsa enim calumnia est, quod omnes ceremoniæ, omnia vetera instituta in Ecclesijs nostris aboleantur. Verum publica querela fuit, abusus quosdam in vulgaribus ritibus hærere. Hi quia non poterant bona conscientia probari, aliqua ex parte correcti sunt.)

Ante postremum paragraphum Epilogi nostræ editionis, (quem tali asterismo () notauimus) reperiimus in alia editione præscriptum hunc titulum.*

A R T I C V L I I N Q V I B V S R E -
C E N S E N T V R A B V S V S M V T A T I .

Et post titulum hæc verba.

¶ CVM Ecclesiæ apud nos de nullo articulo fidei dissentiant ab Ecclesia Catholica, tantum paucos quosdam abusus omittant, qui noui sunt, & contra voluntatem Canonum vitio temporum recepti, rogamus ut Cæsarea Maiestas clementer audiat, & quid sit mutatum, & quæ fuerint causæ, quo minus coactus sit populus illos abusus contra conscientiam obseruare. Nec habeat fidem Cæsarea Maiestas istis, qui ut inflamment odia hominum aduersus nostros, miras calumnias spargunt in populum. Hoc modo irritatis animis bonorum virorum, initio præbuerunt occasionem huic dissidio, & eadem arte conantur nunc augere discordias. Nam Cæsarea Maiestas haud dubie comperiet tolerabiliorem esse formam & doctrinæ & ceremoniarum apud nos, quam qualem homines iniqui & maleuoli describunt. Porro veritas ex vulgi rumoribus aut maledictis inimicorum colligi non potest. Facile autem hoc iudicari potest, nihil magis prodesse ad dignitatem ceremoniarum conseruandam, & alendam reuerentiam ac pietatem in populo, quam si ceremoniæ ritæ fiant in Ecclesijs.)

D A R T I C V -